

328

326

332

322

337

317

377

277

427

227

Ende

Anfang

313

habere coecam, fatuam, et Domino et hominibus abominabilem devotionem, et incomparabiliter melius esse talibus abstinere, quam se cum tanta coecitate divinis ingerere, imo, melius eis fuisset Jerosolymam non vidisse. Condolui vehementer saecularibus, qui adstabant, et cum grandi scandalo haec considerabant. Ego forte ex indevotione mea non tantum sui affectus ad celebrandum, quantum illi, potius a Jerusalem sine celebratione recessissem, quam pro loco contendissem. Semper tamen sine litigio locum habui in locis optatis, in prima et secunda peregrinatione. Vidi quosdam alios, qui quidem non contendebant, nec litigabant, sed et cum vi et impatientia irruerant, albam ad se trahentes, adeo potestative, quod nemo ausus erat se eis opponere. Et illos imperfectiores litigantibus judicavi, et magis temerarios. Illa contingunt ex defectu ordinis, quando res non ordinatur. In prima enim mea peregrinatione erant multi sacerdotes peregrini, et pauci laici, et non erat res ordinata per fratres, et tunc multa talia acciderunt. In secunda autem peregrinatione erant pauci sacerdotes, et multi saeculares, et pater **Gardianus**, vir prudens, bene cuncta ordinaverat, quod res pacifice transibat.

Caussae autem, quare sacerdotes sic festinant, et pro loco contendunt, sunt variae. Una est quandoque furor et devotio ad loca sancta, quae tanta est, quod generat zelum indiscretum, et praecipue in eis, qui non habent discretionem et sanctitatem, (**120A**) et tales timent semper, quod tempus non detur eis, quo suae devotioni satisfiat. Alia est, quia multi sacerdotes in voto habent, quod velint celebrare Missam unam aut duas in sancto sepulchro; et illi, ut votum solvant, contendunt et conatum faciunt. Alia est: quidam veniunt missi ab aliis, qui votum veniendi implere non possunt. Et illi mittentes committunt eis tot Missas celebrare in sancto sepulchro, et juramenta ab eis exigunt, et dant eis expensas, et tales timent perjurium, ac festinant et litigant. Alia est, ut redeuntes ad patriam dicere cum veritate possint: ego celebravi in sancto sepulchro Missam, et videtur eis, si locum habere non possent, quod esset eis verecundia et scandalum, quod ita recessissent a Jerusalem. Alia causa est: aliqui milites praesentes dant aliquando alicui sacerdoti ducatum

